

tamen fontis nostri aqua ea ubertate diffundi, ut concedat ad alienos: siquidem veneranda fidei mysteria ab his, qui suo more turpem vitam agunt, vult nos abscondere, et ob id paulo infra subiungit: Nullus externus tecum communi- cet: sed illi solum qui ejusdem tecum sunt doctrine et fidei. Uxor autem pubertatis, cuius paulo post fit mentio, mystice doctrinam cui a puero familiariter assuevimus denotat. Oblectamentum autem ex illa capiti conjux ejus, quando secundum theoreticam notitiam, quam nactus est, operatur. Deinde Didymus: «Divinarum rerum cogitatio, ait, et puteus, et fons est: illis, qui ad virtutis stadium primum accedunt, puteus est; fons vero illi qui ad illius fastigium jam pervenerunt. Atque ita Christus salvator noster super fontem sedisse scribitur; Samaritana vero fontem illum puteum nominabat; aiebat enim: Neque in quo haurias habes, et puteus altus est. Eadem divinarum mysteriorum intelligentia et mater quoque, et uxor, et soror nonnumquam appellatur. Mater quidem, quia a Christo doctore per illum genitum suus; uxor vero, quia dum illa familiariter nobiscum degit, parit virtutes recteque fidei dogmata; soror autem, quia hec aqua ac nos ex Deo Patre orta est. Et sapientiam, inquit, sororem meam dixi. Potest aliter quoque sententia hęc exponi: per hec enim quod divinarum mysteriorum cogitationem fontem vocat, rerum quas continet, copiam ostendit; per id vero quod ipsi solum illius concessit, singularem voluptatem, quę inde percipitur exprimit.» Mox Polydronius: «Denuntiat uxor, at illi uni adhaeret, cui primo ad nuptias trailla fuerat. Deinde ad maritum reversus, ait: Fons aquę tuę tibi sit proprius, hoc est, sana illa castaque doctrina, quam a puero hausisti, tecum in vita perseveret.»

Quarto, S. Ambrosius, lib. III Hexam. cap. XII, initio, per cisternam et puteum accipit gratiam et sanctitatem internam: «In teipso, ait, suavitas tuę gratia est, ex te pullulat, in te manet; intus, id est in teipso, querenda jucunditas tuę est conscientie. Ideo ait: Bibe aquam de tuis vasis, et de puteorum tuorum fontibus.» Sic et Christus, Joan. VII. 37, clamabat: «Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre hujus fluent aquę vivę. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accipitur erant credentes in eum.»

Quinto, alii physice per cisternam et fontem accipiunt mentem bonam, ex qua emanant et ebullunt cogitationes sanctę, quibus anima irrigatur et fecundatur ad omne opus bonum. Ita S. Gregorius Nyssenus, hom. 9 in Cant., ad illud, Hortus conclusus fons signatus: «Fons, inquit, est cogitativa nostrę animę facultas, quę omnis generis ratiocinationes in nobis facit sciatere et amare; sed tunc noster fit motus cogitationis, quando omnis nostrę movetur operatio ad ea

quę sunt nobis conducibilia, et honorum exhibent procreationem. Quando autem quis converterit cogitationem ad excoegitandum vitium, tunc in alienos consumitur fluentum: adeo ut bene alatur quidem spinosa vita irrigata ope maliarum cogitationum, exsicceat autem et marcescat melior planta, nullo humore bonarum cogitationum nutriende radice.»

Hęc pertinet expositio S. Hieronymi in Malach. cap. III, qui per uxorem cisterna et puteo significatam accipit legem naturalem, quam Deus mentibus omnium inseruit: «Uxorem adolescentię, ait, naturalem dicam intelligentiam. Legem in corde prescriptam, quę omnibus hominibus insita est. Et de hac conjuge predicatur a Deo. Conjugatur uxor viro; et jubeatur ut de nostris aquis potemus et fontibus,» etc. Hęc quoque spectat explicatio S. Ambrosii, lib. III Offic. cap. I, ubi per cisternam et fontem accipit cor proprium, ad quod post negotia redire, illudque consulere, et ab eo edoceri debemus: «David Propheta, ait, docuit nos tanquam in ampla domo deambulare in corde nostro, et conservari eum eo tanquam cum homo contubernali, ut ipsa sibi diceret, et loqueretur secum; et istud illi: Dixi: Custodiam vias meas. Salomon quoque filius ejus ait: Bibe aquam de tuis vasis, et de puteorum tuorum fontibus, hoc est, tuo consilio utere. Aqua enim alla, consilium in corde viro. Nemo, inquit, alienus particeps sit tibi. Fons aquę tuę sit tibi proprius, et jucundare cum tua uxore quę est tibi a juventute. Cervus amicitia et pulvis gratiarum confabulerunt tecum. Non ergo primus Scipio scivit solus non esse, cum solus esset; nec minus otiosus, cum otiosus esset; scivit ante ipsum Moyses, qui, cum taceret, clamabat; cum otiosus staret, prelabatur; nec solum prelabatur, sed etiam de hostibus, quos non contigerat, triumphabat.»

Sexto, Salomus hic et S. Hieronymus in cap. XXII Ezech. et in cap. IV Amos, per cisternam et fontem accipiunt S. Scripturam, cujus interpres et custos est S. Ecclesia, a qua haurit oportet sanam doctrinam, non autem a spurcie laevis haereticorum. «Cisternam, inquit Salomus, vocat catholicam, id est veteris et novi Testamenti doctrinam; puteum vero, profunditatem et altitudinem ejusdem; aquam, scientiam, frueta, copiam et abundantiam scientię, id est, varios S. Scripturę appellat intellectus. Docet enim his verbis cavere a doctrina haereticorum, et attendere lectionibus S. Scripturę. Et est sensus: Bibe aquam de cisterna tua, id est, serva et opere imple doctrinam, quam alii predicās. Et fluentia putei tui, id est, abundantia sermonis tui, seu scientię, affluenter in te redundet in operibus bonis.»

16. DERIVENTUR FONTES TUI FORAS, ET IN PLATEIS AQUAS TUAS DIVIDE. — Hebraice, divisiones vel rivuli aquarum in plateas prominent. Ita Valabius,

Septuaginta, effundant tibi aquę ex fonte tuo; in tuas autem plateas transant aquę tuę. Ita legunt Complutenses, quibus consentit S. Ambrosius superius citatus, qui legit, in plateis superfundant aquę tuę; hoc est Romani addentes negationem ut contrarie legant, non superfundantur tibi aquę extra tuam fontem. Romanis consentit Origenes, hom. 12 in Num., et Clemens Alexandrinus, lib. II Strom., et Aquila qui vertit, ne dispergantur fontes tui extra (1); Chaldaeus consentit Hebręę et Complutens. ac Nostro, veritque affirmative, redundent aquę tuę foras, et in plateis rivi aquarum; Syrus, abundant aquę tuę in plateis tuis, et in plateis fluent. Pro deriventur hebraice est יצאו יאפלטו, id est dispergantur, longe lateque spargantur; gręce, ἀπερσθήσονται, id est superfundantur, id est, ut habet versio Catena Gręca: «Magna ubertate profundantur,» ut redundent et superfluant.

Sensus est, q. d. Ex te et uxore tua velut e copiosis purisque fontibus procreent et prominent multa legitima, pulchra et bene morate proles, quę discurrant per plateas, quasi rivi limpidissimi: quorum aquis, id est sanctis moribus, cum vicinia tota, tum etiam republicę horti ac viridaria feliciter irrigentur, qui proinde tibi ac toti civitati sint ornamento, aquę ac voluptati et utilitati. Ita Bada, Jansenius, Baynus et alii. Significat finem et fructum conjugii esse bonum proles et sobolis copiose et honorate, hocque debere spectare et quaerere conjuges: cum ex adverso fornicarii et adulteri in fornicatione quaerant duntaxat voluptatem, non sobolem, imo eam non raro impediunt ne concipiantur, aut conceptam praefocent et enecent, ne crimen in vulgus emanet, neve prolem alere teneantur. Quod si qui prolem quaerant et alant, illa ut spuria et adulterina, ideoque male educata et morata, parentibus est dedecori et civitati noxia. Spuri enim non raro a matre meretricis levitatem, et mores meretricios hauriunt et induunt: quę de causa dignitatibus publicis arcetur, et ad beneficia Ecclesiastica inhabiles Jure Canonico censentur.

Porro fontes vocat uxores, quia illo ævo Judæis permixta erat polygamia, sive pluralitas uxorum: sicut Abraham habuit duas, Saram et Agar; Jacob quatuor, scilicet Rachel, Liam, Balam et Zephram. Ut tamen ostendat monogamiam longe preferendam esse polygamie, ob pacem, et ob

meliozem educationem filiozem, identidem uxorem in singulari vocat venam, cisternam, puteum, cervam, hinnulum.

Et IN PLATEIS AQUAS TUAS DIVIDE, — q. d. Sicut e puteo vel fonte aquę per canales et aquę ductus derivantur et dividuntur per plateas, foras et compita ad magnum civitatis ornamentum et commodum: sic pariter tu filios et filias, quę ex uxore susceperis, divide per connubia in varias domos et familias. Rursus in varia officia vel officię gradus et status republicę ad tuam aquę ac civitatis decus, voluptatem et utilitatem. Notat affinitates, dignitates et honores, quos per filios et filias e legitimo toro susceptas, sibi æque familie conciliabit; presertim quia filii et filię honeste a patre et matre in conjugio educati, non tantum dignos talibus munus se prestantur, sed et parentum consilium ductumque sequuntur: nam bene educati et morigerati filii et filię sicut se a parentibus regi, dueque ad illa connubia, gradus et status, sicut aquę sicut se duci flectique ad arbitrium artificis, qui eas per canales, quocumque vult, ducit et flectit.

Præclare S. Cyprianus, De Dono pudicitie: «Pudicitia, ait, est honor corporum, ornamento morum, sanctitas sexum, vinculum pudoris, fons castitatis, pax domus, concordie caput.» Idem, De Singul. cleric.: «Castitas, ait, munimen invictum est sanctimoniam, et expugnatio fortis infanite, fortitudinis firmitas et lascivie petulantis infirmitas, probitatis presidium et improbitatis excidium, anime victoria et corporis præda, ubertas gloriarum et sterilitas criminum, prouba sanctitatis et repudium turpitudinis, sinceritatis iudicium et abolitio scandalorum.»

Mystice sapientie et virtutis nostrę fontes foras derivamus, cum alios docemus, bene consulimus, monemus, et in omni sanctitate formamus et perficimus; aquas dividimus, cum congregationes cęterasque populi varios in locis erigimus, iuxta illud Sapient. VII, 13: «Quam sine fletione ducti, et sine invidia publicos, et honestatem illius non abscondo.» Ita Petrus paulo ante citati.

Porro sapientiam aliis communicare debemus large et liberaliter instar fontium, qui tantam aquę emittunt, quantum recipient; tantum enim aquę ex his effluit, quantum affluit. Sic doctor, predicator, monitor, etc., tantum sapientie in proximis effundat, quantum a Deo acceptantantum rursus et continue a Deo recepturi. Quocirca τὸ ἀποχεῖσθαι, id est superfundant aquę sapientie ex ore doctorum, ut instar torrentium magno spiritu largissime et efficacissime eructent et eurgunt magna dei et monita salutis, ut fecit S. Petrus et Apostoli, recepto Spiritu Sancto in Pentecoste, Act. II.

17. HEBRETO RAS SOLUS, NEC SINT ALIENI PARTICIPES TUI. — Hebraice, sint tibi soli tibi, et non alienis tecum. Ita Valabius. Septuaginta, sint tibi soli possessio, et nemo alienus particeps est tibi; Chaldaeus

(1) Particulam πὶ in codice Romano hinc versus premissam, spuriam esse censet Rosenmüllers. «Nam, ait, abest non tantum in codice Alexandrino et in Arabica translatione, verum et in pluribus codicibus, quos consulit Parsons, continuator editionis Gręcæ versionis ab Halmesio inchoate, et in his codicibus et quibus Alhus et Complutenses Gręcam translationem ediderunt. Aquile quętem interpretationi, quę ex editione Romana prolata, legitur a Montefalcione in illo codice manuscripto reperta est, non a librariis ad additum sit e versione Alexandrina, hęc verendum est.»

erunt tibi soli, et alieni non participabunt tecum. S. Chrysostomus in Psal. ix exponit, q. d. Custodi aquas, id est fontem, id est uxorem tuam, ne cum aliis consuetudinem habeat: sed tu solus ea utaris, ne dubitare incipias an filii sint tui, an adulterorum. Verum melius hæc non tam de filiis, quam de uxore accipias cum Hugone, Jansenio, Bayno et alius, q. d. « Habeto, » id est habebis, has aquas, puta proles legitimas, « solus, » si e sola uxore eas suscipias; nec alieni, scilicet adulteri et fornicatores, pariter: earum sibi vindicabunt, sicut vindicare poterunt, si eas ex meretrice vel adultera suscipias: meretrix enim sicut vaga est et multis se prostituit, sic et sæpe non tuos, sed nothos et spurios, quos ex alio concepit, tibi supponet, aut certe communes procreabit filios, in quibus scilicet partem aliquam obtineas tuam, partem aliam alii, qui cum eadem fornicati sunt. Rursum alieni erunt participes tui, quia spurii, quos tibi quasi tuos substituit meretrix, partem hæreditatis tuæ adibunt, eaque genuini tui filii fraudabuntur. Huic similis est illa gnome Ben-Sira *alphabeta* 1, littera *samech*: « Scriba docens alios ducat virginem, et ne ducat eam quæ virum experta est; nam aquæ virginis tibi soli erunt, aquas vero ejus quæ virum experta est antea, alius præter te hausit. »

Mystice S. Gregorius, lib. I in *Ezech.* hom. 12, et ex eo Beda ac Salonus hic, per fontes accipit sapientiam quam pura et sincera intentione promovendi Dei gloriam et salutem animarum prædicandi Dei gloriam, et si vane gloriæ, similivise cupiditatis causa prædicemus, alieni, id est demones, partem in nostro labore sibi vindicent. Objicit enim sibi S. Gregorius quod posterior pars hujus versus priori adversari videatur: « Quomodo enim, ait, aquam scientiæ solus habere poterit, si hanc in plateis dividit? » Ac respondet: « Sed cum prædicamus populis, nimirum in plateis dividimus, quia in auditorio multitudinem scientiæ verba dilatamus. Cum vero nos adjuvante divina gratiâ intrinsecus custodimus, et ne maligni spiritus, qui iure a nobis alieni sunt, quia sortem beatitudinis perdidit, nobis in elatione subripiant, sollicitudine cauta circumspiciamus, soli habemus aquas, quas in plateis dividimus, ut a nobis alieni in eis participes non sint. Hi nimirum de quibus scriptum est: Alieni insurrexerunt in me, et fortes quæsierunt animam meam. Aquas ergo et in plateis dividit, et solus habet, qui per hoc, quod nullis prædicat, se in cogitatione temporalis gloriæ non exaltat. Tunc enim possidet homo quod docet, quando se non gaudet innotescere, sed prodesse. »

Rursum S. Bernardus, lib. I De *Consider.* cap. v, ex hoc loco monet Eugenium Pontificem ut inter tot Pontificatus negotia subinde redeat ad fontem cordis sui, in eoque se recolligat: « Omnes, ait, pariter participant te, omnes de fonte publico bibunt pectore tuo, et seorsum sitiois stabis? si ma-

ledicus qui partem suam facit deteriorem, quid ille qui se penitus reddit expertem? Sane deriventur aquæ tuæ in plateas, homines et iumenta et pecora bibant ex eis, quin et camelis pueri Abraham potum tribuas; sed inter cæteros hibe tu de fonte putei tui. Alienus, inquit, non bibat ex eo. Numquid tu alienus? cui non alienus, si tibi es? Denique qui sibi nequam, qui bonus? Memente proinde, non dico semper, non dico sæpe, sed vel interdum reddere teipsam tibi. »

18. SIT VENA TUA BENEDICTA, ET LETARE CUM MULIERE (Hebraice, *de uxore*, vel *cum uxore*) ADOLESCENTE TUA. — Septuaginta, *fontes aquæ tuæ sicut tibi proprius, et jucundare cum uxore quæ a juventute tua, quam juvenem juvenis duxisti.* Syrus, *fontes tuos sit benedictus; Vatablus, sit vena tua benedicta, et gaudium quod de uxore capis, quæ tibi in juventute desponsa est, repete, sit benedictum.* Hoc enim gaudium honestum est et castum juxta leges conjugii et timoris Dei, ideoque Deo placitum, ab eoque benedictum, ut jure sit, cumulatam et fecundam.

Jam primo, Cajetanus et alii citati vers. 13, per *venam* sive fontem accipiunt facultates, q. d. Fac ut opes tuæ velut fontes deriventur in pauperes; sic fiet ut ipsæ benedicant tum a pauperibus, tum a Deo, qui, ut ait Paulus, *II Cor.* 10: « Multiplicabit incrementa frugum » *is qui* in egenos profusi sunt. Sic et Jansenius. Unde Septuaginta habent, *ἡ οὐκ οὐκ ἀγαθὴ ἔσται, ἢ ἐστὶν σὺν τὴν σὺν ἐξοικιστῶν;* alii vertunt, *sint tibi soli facultates.* Sed qua ratione hi fontes foras corripiendi sunt, dividendi in pauperes, et tamen solus illos Dominus debet habere, nec alieni participes esse debent aquarum illarum? Adde quod S. Augustinus legit, lib. II *Contra Crescon.* cap. XIV: « Fons aquæ sit tibi proprius, et nemo alienus communicet tibi. » Contradicere enim sibi videtur, dum has aquas effundi vult et retineri. Nimirum, quia tunc bene retinemus, quando effundimus. Et ex eo quod effundimus, quasi perenni recursu divinarum benedictionum, nihil amississe videntur, non secus ac si nihil effudissemus, nec alieni ex nostris opibus partem aliquam acciperent, sufficiente Deo semper eandem, quam effundimus, materiam benigne satis, imo multo largiorem. Nam verba Septuaginta, *sint tibi soli facultates*, interpretari possumus: Existima te solum divitem; tot enim tantaque Deus in te largitus est, ut solus facultates possidere possis opinari.

Verum quia sequentia et præcedentia ad uxorem et proles spectant, non ad opes, hinc secundo, melius Hugo per *venam* accipit filios, q. d. Si ex uxore sola caste liberis susceperis, faciet Deus ut illi vicissim felix et faustum sortiantur conjugium, ex quo prole odo filios procreent, quibus quasi aquis in aridissimas urbes irrigent et civibus locupletent.

Tertio et optime, per *venam* accipias uxorem; hanc enim paulo ante vocavit *puteum*, id est

venam et fontem aquarum, id est liberorum, q. d. Fac ut uxor tua fecunda sit et benedicta a Deo, ac benedictionibus uteri felix. Id officii, si ejus amore et legitimo usu contentus, vires corporis non exartrias vaga et aliena libidine, et per amorem Dei vitia declines. Sic enim uxor tua benedicta a Deo, multosque insignes, validos et que ac probos filios tibi procreabit, juxta illud *Psal.* CXXVII: « Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ; filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedictus homo qui timet Dominum. » Idem promisit Deus Judæis *Deuter.* XXVII, 4, et alibi. Ita Vatablus, Baynus, Jansenius et alii, et patet ex eo quod explicans subdit:

ET LETARE CUM MULIERE ADOLESCENTE TUA. — Hæc est postparabola, sive applicatio et explicatio parabole præcedentis de usu cisternæ, putei et *venæ*, q. d. Quod dixi: « Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui, etc. Sit vena tua benedicta, » nunc explicio dicens: « Letare cum muliere adolescentiæ tuæ, » nimirum per hæc parabolas nihil aliud castis auribus ingero, quam ut caveant alienos amores meretricium, solaque uxore, quam virginem in adolescentia dilexerunt et duxerunt, contenti ea quasi sibi a Deo data honeste utantur, ac cum ea letentur et jucunde vivant, præsertim cum illa a Deo benedicta dabit marito egregios probosque liberos, indeque lætam et longævam senectam, cum ex adverso meretricium amor, ut inhonestus et adulterinus, ita infaustus sit, brevis et illiberis, ac in rixas, tristitias, odia et damna gravia desinat.

Ita lætabatur S. Joachim cum S. Anna, præsertim quando oraculo Angeli post longam sterilitatem, miraculo Deiparam Virginem Mariam ex ea genuit, Unde B. Damascenus, orat. 2 *De Nativ. B. Mariæ*, eam sic lætantem inducit: « Merito igitur Anna, divino spiritu plena, leto hilarique animo personat: Congaudele mecum, quæ promissionis germen ex sterili ventre peperit, ac benedictionis fructum uberibus meis, ut optaveram, nutrio. Sterilitatis moestitiam exui, ac lætam fecunditatis vestem indui. » Et post pauca: « Dicant item matres omnes hæc fecunditate prædite: Benedictus qui orantibus illi, quod optabant, largitus est, et fecunditatem sterili dedit, ac felicissimum illud Virginis germen concessit, quæ mater Dei secundum carnem fuit, cuius venter cælum est, in qua habitavit is qui nullo loco capi potest. »

19. CERVA CHARISSIMA, ET GRATISSIMA HINNULUS. UBERA EJUS INERENT TE IN OMNI TEMPORE, IN AMORE EJUS DELECTARE JUGITER. — Hebraice, *cerva amorum, et hinnulus gratia* (gratiosus), etc.; in amore ejus oberra semper; Septuaginta, *cerva* (vel *cervus*) *amicitia, et pullus gratiarum confabuletur* vel *conversetur tecum; at propria* (Scholiastes pro *dia*, id est *propria*, legit *edia*, id est *dilectio*, *amicitia*; sic quoque legit S. Ambrosius, lib. *De Jacob*, cap. VII) *praesent te, et adsit tibi, et omni tempore: in iu-*

*jus enim amicitia conversatus diuturnus eris.* Graeco *ἄδρα*, id est *pullus*, significat pullum equi, et ita vertunt Complutenses et S. Ambrosius, lib. *De Jacob*, cap. vi; extenditur tamen ad festus cervorum et aliorum animalium. Unde Noster vertit, *hinnulus; Symmachus et Theodotion repetunt nomen cervus, vertuntque cervus gratia; Pagninus et Rabbinus, iocæ gratia; Vatablus, sit hæc velut amata cervæ, et caprea gratiosa; Syrus, cervæ amoris et dama amoris; Arabicus, hinnula gratia tua; alii vertunt, rupicapra gratiosa: hæc enim, inquit, vocatur יָרֵר *yaal* ab קָרָא *ala*, id est ascendit, quod montes et rupes ascendat. Unde Martinus:*

Pendentem summa capram de rupe videbis.  
Casaram speres; decipit illa canes.

Repete ex vers. 18 verbum *sit*, q. d. Sit tibi uxor cara et grata, sicut heris grata et cara est serva speciosa, mitis et placida, imo sicut hinnulus speciosus, gratiosus, obsequens et amabilis. Quare minus genuine Rabbinus exponit, q. d. Sicut cervæ amorum invenit gratiam apud hinnulum, ita uxor maritum cum uxore enim hic tam comparatur hinnulo, quam cervæ. « Hinnulus » vocatur fœtus, sive pullus capriolarum, caprarum, damarum, cervarum, qui sua specie, parvitate, gratia, motu, celerritate, comutatione, saltu, ludicris gestibus *mare* recreat intuentes, eisque est in deliciis. Unde *Canth.* I, 9, ait Sponsa: « Similis est dilectus meus capræ, hinnuloque cervorum. » Hinc et cervæ hinnuloque ab homine cœcurantur, hominemque se alentem quasi filii comitantur et sequuntur, imo subinde nutriunt, sicut cervæ perpetua comes et assella fuit S. Egidii, eumque suo lacte per plures annos nutritivum, uti habet ejus Vita apud Surium, die 4 septembris. Similia de cervis in Vitis aliorum Sanctorum legitimus. S. Prisco Episcopo Nucerno cum suis fame afflictis cervam accurrentem lac præbuisse, eoque celebrante Angelos concinnisse, ac sorores sepultas et defuncto medium in sepulcro locum cessisse, scribit Paulus Regius Episcopus Equenensis, lib. *De Sanctis Regni Neapolitan.* part. II, et ex eo Philippus Ferrarius in *Catalogo Sanctorum Italiae*, qui et addit, S. Gerontio Episcopo Phiceolis jubente, cervam comitibus siti laborantibus lac præbuisse; floruit sub Symmacho Papa. Item *Amobionem* Armeum monachum in eremo cum duobus discipulis degentem, dum ob nives cibum haberi non posset, ad orationem confugisse, atque illico cervam affuisse, qui se occidendum comedendumque præbuit.

« Innocens, ait S. Ambrosius, est natura cervorum. » Cervæ ergo amorum significat uxorem, quam puellam et virginem duxit maritus, moribusque suis assuefecit, pudicam, obsequentem, domesticam, pulchram, gratiosam, amabilem esse marito, ac amorem tum mariti, tum domesticorum sibi conciliare, atque efficere ut in familia sit pax,

Uberiorque omnes ament, juvent, tolerant. Hic tamen amor est conjugalis, id est honestus et moderatus, non adulterinus, id est inhonestus et immoedus. Nam Sirtus Pythagoreus, et ex eo Hieronymus ait lib. I *Contra Iovin.*: «Adulter est in suam uxorem amator ardentior. In aliena guppie uxore omnis amor turpis; in sua nimis. Sapientis vir iudicio debet amare conjugem, non affectu.» Et inferius: «Nihil est foedius quam uxorem amare quasi adulteram.»

UBERA EJUS INEBRIENT TE (ubera significant amores. Unde Vatablus vertit, *amores ejus perpetuo te inebriant*; nam Hebraeorum דודים *dotim* significat amores, דודים *dadaima* ubera, quia ubera sunt filices amoris, et quia cor, quod amoris est sedes, spheribus quasi stipatur et continetur. Unde explicans subdit: IN AMORE EJUS DELECTARE JUGITER. — Sic et sponsa ait sponso *Cantic.* 1, 1: «Meliora sunt ubera tua vino.» Et: «Memores uberum tuorum; ubera, id est amorum, gratiarum et beneficiorum, quae a te in nos distillant, sicut lac ex ubere distento; constat enim sponsum non habere ubera, sed sponsam. *Sic ubera accipiuntur pro am.* inferius cap. VII, vers. 18; *Osee* II, 2; *Ezech.* XIII, 17, et alibi.

Sensus ergo est, q. d. Amor, gratia, officia et obsequia uxoris tuae, quibus te pascit, vesit, recreat, diligit, et per omnia conjugii officia obsequitur, instar uberum tibi sit, o marite dulcissime; haec te inebriet, id est, tuam cupiditatem expleat et satiet, ut alienae matris amoris et voluptates non requiras, sed in unius uxoris amore et officiis delecteris jugiter. Hic tamen amor moderatus sit oportet, ut rectae rationis et honestatis dictamen metasque non excedat. Unde Chaldaeus addit, *rationem disco in omni tempore, q. d.* Tuus amor sit rationabilis, honestus, ratione et honestate definitus. Sic enim vicissim provocabis amorem uxoris erga te, ut tibi fida sit, teque sui amantem redamet quasi cervam amorum, idque jugiter. Magnae enim amoris est amor, nimirum honestus et conjugalis: qui idcirco stabilis est; cum amor inhonestus et meretricius illico dilabitur, imo in odium et rixas convertatur. Et sic exponas *delectare* per futurum, ut significet fructum amoris, q. d. Hoc modo delectaberis in amore ejus jugiter, juges habebis conjugii tui delicias. Septuaginta vertunt, *in hujus enim amicitia conversatus*, vel *circumductus, moxq. tui*, quod Complutenses vertunt, *multiplicabilis eris*; Romanam, *diuturnus eris*; auctor *Galenus Cerecor.*, *molestus eris*. Sensus est, q. d. In casto amore uxoris tuae vires vitam beatam, ideoque diuturnam, et accessus ad felicitatem primorum patrum ante diluivium, qui fere mille annos vixerunt; tu enim pro mille annis, mille commodis et gaudiis mille annis perfrueris. Unde S. Ambrosius mox commendans legit, *plurimus eris* (1).

(1) *Haec, esse in amore qui obdit, vel citius per-*

Porro conjuges delectationem copulæ moderari debere, eaque non propter se, sed ad generationem prolis uti, pulchro passeris et turturis apologo docet Cyrillus, lib. IV *Apolog. moral.* cap. X: Libidinosum passerem immoderatissime coluisse effundentem turtur prospiciens, mox ad eum venit et dixit: Ut quid, mi frater, in tanto libidinoso impetu, et libidinis impetuoso fervore consumeris, ac tui prodigus te detipsum effundis? an ignoras quod animalia multum coeuntia non diu vivant? Parce tibi, quiesce, et cuncta cum moderatione age. Cui ille respondit: Si nosti delectationem veneram, quid miraris? dulcis esca trahit ad hamum, et morsus uir gustatus suaviter rapit morsum alium. Ad haec turtur, intelligens ipsam sola delectationem adduci, adjunxit: Scio certe quod generationis amore non dueris, sed delectationis venerae cupidine ventilaris. Atamen quid est quod effundis? nome digestissimam modullam, nonne vite amabilis sementivam, et humane naturae radicalis carnis substantiam, et divitiarum generativae thesauriarum venam? Deinde, quod hoc bono proprio, aeque ac ordini naturae repugnet, nervose edocet: «Attendente igitur quid tui prodigus destruas, quid inanis dispergas, quid ingratus in nihilum projecias, et iniquus depositarius naturae carissimum thesaurum tibi commendatum, inimicae vanitatis impendas. Profecto subversor es ordinis mundialis, et naturalis legis transgressor. Mundi enim ordo et lex naturae haec est, ut tanta naturae delectatio dirigatur in prolem. Tu autem precepta et neglecta prole, auctor perversitatis, in delectationem umbratilem et transivam prolificum semen fundis. Quid plura? stultissimus quippe est, qui delectabiliter se destruit, et tanto demeritur quanto lethalius se perdit. Quibus dictis, quiescit.»

Nota ex iis, quae ante plures annos amotata <sup>Quotidiano</sup> in cap. v epist. S. Pauli ad <sup>Malicia</sup> Ephesios, sub finem, amores et officia conjugum optime representari <sup>cervae d</sup> per cervas et cervos. Nam, ut docent Aristoteles, <sup>morae</sup> Elianus, Plinius et Oppianus, primo, cervi cervae, <sup>prima</sup> vaque amor est singularis; secundo, cervae amat <sup>Secunda</sup> bilis est, et in deliciis homini; tertio, cervus et cervae <sup>tertia</sup> cervae carent felle, pari modo in comubiis olim Junoni pronuba sacrificantes fel eximebant et abjiciebant, ad charitatem conjugum designandam, ait Plutarchus; quarto, cervus et cervae caste, nec nisi secreto congregantur; quinto, velocissimi sunt ad invicem opitulandum; sexto, cervorum in cervas amor uti ardentissimus, ita et fortissimus est. Unde de iis canit Seneca:

Si conjugio timere suo,  
Pescunt timidi praemia cervae,  
Et moesta dant concepti  
Signa furoris.

*petus*, id est, semper te oblectes ejus amore tanquam tui obitus, similitudine desumpta ab ebris, quae in priores hemisphaeio est unum.

Septimo, cervae mari suo fide sunt, donec is ab alio cervo duellatore victus succumbat; unde Nemesianus: «Cervae marem sequitur;» octavo, cervus mox a congressu in scrobem se abdit quasi libidinis eum pudeat, donec pluvia ablutus, et quasi purificatus in pascea redeat; nono, cervus et cervae post conceptum congressu abstinent, q. d. Sapienter Tale sit tibi, o homo, conjugium, talis uxor, qualem jam cervam descripsi, scilicet amabilis, unica, sincera, blanda, casta, collaborans, ardens, fortis, fida, verecunda. Ita Venerabilis Beda.

Quibus adde decimo, cervos et cervas invicem succollare et mutua capitum onera ferre, ut doceant idem facere conjuges, ac implere illud Apostoli *Galat.* VI: «Alter alterius onera portate,» quod omnibus quidem hominibus, sed maxime conjugibus jugiter invicem conviventibus faciendum est. Ita S. Augustinus, *Quaest. LXXI*, inter 83: «Cervi, ait, cum fretum ad insulam transeunt pascurum gratia, sic se ordinant, ut onera capitum suorum, quae gestant in cornibus, super invicem portant, ita ut posterior super anteriorum cervicis projecta caput colloctet. Et quia necesse est unum esse qui ceteros procedens, non ante se habeat cui caput inclinet, vicibus id agere dicuntur: ut lassatus sui capitis onere ille qui praecedit, post onerum redeat, et si succedat, ejus ferebat caput, cum ipse praeret. Ita invicem onera sua portantes fretum transeunt, donec veniant ad terrae stabilitatem. Istam fortasse cervorum naturam intenderat Salomon, cum ait: Cervus amicitiae et pullus gratiarum tuarum colloquantur tecum. Nihil enim sic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio.»

Undecimo, cervae ob uterum arctiorem difficultate pariant; hinc ad faciliorem partum sese herba utantur, teste Plinio, lib. VIII, cap. xxxii. Deus etiam eas adjuvat per tonitru, juxta illud *Psal.* xxviii: «Vox Domini preparans cervos.» S. Hieronymus, *obstetricans cervos*; Aquila et Symmachus, *parturiens*; Chaldaeus, *parturire faciens cervos*; cervae enim matricem habent angustam, quae pavore tonitru dilatatur, ut facilius pariant. Hinc fit ut cervae ament intimo suos fetus, utpote quos tanto dolore et nisu enixe sunt. Idem faciat uxor, cujus partur difficultissimus est partus, ut filios, quos per novem menses utero gestavit, tantoque dolore peperit, diligit, edocet, instruat, formet ad omne bonum prosequendum, et ad omne malum evadendum, ad quod opus est magna industria. Audi Aristotelem, lib. VI *De Histor. animal.* cap. xxxi: «Cervae parere juxta vias solent metu belluarum. Incrementum hinc illi celare, etc. Ducere suum hinc illud ad stabula consuevit, quem locum sibi habet refugium: petra abrupta etiam aditu, unde defendere se repugnareque solet iis qui invadunt.» Addit Plinius, libro VIII, cap. xxxii: «Editos partus exercent cursu, et fugam meditari docent, et ad praecepta ducunt,

saltantque demonstrant.» Simili modo probe matres filios sollicitae ac solerter educant et instrunt, mox, exercent in omni virtute et fuga vitiorum.

Undecimo, cervae serpentes insequitur et devorat: sic uxor boni insectatur scortatores. «Et gratissimus hinc illud,» id est filius ex ea natus, ait Beda et Hugo, castitatis amator, ad bona agilis, et visu fidei perspicax, hinc jucundissimus erit. Hinc a Graecis cervus vocatur *εραπος* quasi *εραπος*, id est extrahens serpentes; vel quasi *εραπος*, id est levis, agilis. Cervos narium spiritu e cavernis extrahere serpentes docet Lucretius, lib. VI. Addit Plinius, loco jam citato, et cervos suo habitu urere serpentes. Hinc et singulare abigendis serpentibus remedium est cervini cori u suffitus, ait Nicander.

Decimo tertio, cervae, quia frigidae, timidae sunt. Unde illud Chabrie, et postea Philippi patris Alexandri Magni: «Melior est exercitus cervorum dum leone, quam leonum dum cervo.» Et illud Tertullianus: «In pace leones, in praelio cervi.» Sed contra insidias hostium Deus cervas dotavit acri auditu et circumspicione; cum enim aures arripuit, audiunt acerrime et insidias praesentiant, fugiendoque evadunt, ait Aristoteles. Sic uxores timidae sunt; timor hic eas uti et cetera animalia timida docet circumspicionem et prudentiam, praesertim ut audiendo vocem mariti, eique obediendo, pericula cuncta et damna devitent. Rursus bifida ungula cervae nota discretione et examen agendorum, ut uxores sint discrete, caveantque ea quae maritum vel familiam turbare vel exacerbare valerent. Insuper prudentiam cervi (nam cervae cornibus caret) notat, quod cornua positurus secretam petit, ne inermis deprehendatur. Unde Proverbum: «Ubi cornua ponunt cervi,» id est loco incognito et inaccesso. Denique Aristoteles, lib. I *Histor. animal.* cap. 1: «Cervi, ait, ingeniosi sunt et timidi.» Vide eundem lib. IX, cap. v.

Denique cervae, quia carent felle, sunt vivaces ac diutissime vivunt. Ita Aristoteles, loco jam citato. Et Plinius, lib. VIII, cap. xxxii: «Vita cervis, ait, in confesso longa est; post centum annos aliquibus capitis cum torquibus acrio, quos Alexander Magnus addiderat. Febrium morbos non sentit hoc animal; quin et medetur hinc tunc.» Pari modo Salomon hic promittit conjugibus longevitatem, si castam, honestam et concordem vitam agant in timore Dei. Sunt qui trecentos annos vitae dent cervae, alii plures, alii pauciores.

Mystice, sicut per venam, fontem, cisternam, adumbrantes uxorem pudicam; sic et per cervam et hinc illud acie sapientiam et virtutem; haec enim nobis omni hinc illud speciosior, acrior et gratior esse debet, quasi sponsa optatissima. Cui proinde omnes cervae dotes jam repensitas facile accommodes, ob quas illa summo amore et studio dignissima est. Unde Chabrie

vertit, *cerva amorum et exultatio gratiae*. Rationem dicitur in omni tempore, in amorem ejus incumbere semper; Vatablus, in dilectione ejus perpetuo sis implicatus; Syrus, vias ejus dicitur in omni tempore, et amorem ejus cogitat. Sapientia ergo et virtus est cerva amorum, quia amoris sui excitat; et quia homines amat, ac ab eis amari cupit, idque vehementer ardentur.

Allegorice, cervus et cerva representant concubium Dei cum anima sancta et religiosa, in quo omnia plena sunt amoris, voluptatis, gratiarum, laudum et jubilationum. Unde Hugo Victorinus, lib. I *De Vanitate mundi*, et ex eo noster Alvarez de Paz, tract. *De Incantamentis Religiosorum*, lib. I, part. III, cap. xxv, sub finem, per cervam et ubera accipit animam Religiosam, Christo per tria Religiosis vota desponsam. Est ergo, inquit, anima Religiosa sponsa Dei, et Deus sponsus est animae sibi per hunc felicem statum consecrata; siquidem hoc inter illos arctum vinculum intercedit. Quos sponso dulcissimos praeterire non possum, nisi prius delictissimo corde illis congratularer: O Domine Deus meus, o sponse carissime, sit vena tua benedicta, et letare cum muliere adolescentiae tuae, cerva carissima, et gratissimus hinnulus. Ubra ejus inebriant te in omni tempore, in amore ejus delectare jugiter. Hae sponsa tua, sicut aquarum vena effundit aquas, ita sanctorum affectum filios tibi profundat. Tam pulchra et decora sit, ut gaudii ac letitiae occasiones singularis momenti sibi praebet. Tam fidelis, ut, quemadmodum cervi maria transientes se invicem juvant, anteriore caput sequentis sustinente: sic tuae domus curam et tuorum servorum sollicitudinem non in via sustineat. Tam amabilis, ut hinnulus, qui in deliciis habetur, gerat imaginem, ejusque convicti delecteris. Ubra ejus, Domine, quae servus tuus Bernardus congratulationem et compassionem vocat, ita tibi satisfaciant, ut gaudio ejus de profectu bonorum, et compassionem ejus de casibus pusillorum, veluti inebriaris, eique vicem rependens in suis bonis gaudeas, et suas infirmitates dissimules. Amor domique ejus erga te sic purus et ardens, sic a privato amore alienus inveniat, ut ex eo tanquam ex amore sponsae dulcissime capias voluptatem. Sic quoque S. Ambrosius, lib. *De Jacob et Vita beata*, cap. vii, totum hunc locum explicat de viro perfecto, qui uni Deo adherens et cervinus beatus est: « Quid enim requirat, ait, qui inferiora despiciat? Praestantissimo autem inhareat, sicut scriptum est: Cervus amicitiae, et pullos equi gratiarum conversetur tecum. » Amicitia autem praestat te, et una est tecum in omni tempore. Vera enim virtutum dulcedinem, et summi boni charitatem. Nihil aliud quaerit perfectus ille, nisi solum et praedictum bonum; unde et dicit: Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitarem in domo Domini omnes dies vitae meae, et fidem delectationem Domini. Neque vero cum

tanquam angustum inopemque fastidias, quia uni hominis velut solitaria societate contentus sit. Hujus enim amicitia circumdata, plurimus erit: abundat enim hujusmodi viro ad beatitudinem et ad possessionem boni, et idcirco nihil aliud desiderat. Nihil enim quasi novum expetit, qui omnia habet. Nihil est enim boni, quod non habeat; nec superfluis delectatur, sed necessariis, et eo ipso necessario, quod non sibi, sed carni adherenti sibi necessarium sit; idque indulget, quod ab interioris hominis proposito non discrepet, quod faciat utraque unum, et reconciliet exteriori hominem juxta atque interiori Deo ut fiat in utroque unus spiritus. Hujus igitur propositi vir nec dispendium minuitur, nec adversis frangitur, nec repagulis inhibetur, nec suorum amissionibus mortificatur. »

Accedit Hieronymus, *Hieroglyphi*, 7, cap. xvi, ubi per pullum gratiarum (ut vertunt Septuaginta) accipit pullum columbinum, per quem intelligit Spiritum Sanctum, qui gratiarum est distributor. Itaque significari hic, ut semper Christi et Spiritus Sancti solatia requiramus. Verum Hebraeorum *קולנו* pullum equi vel cervi, non columbe significat. Unde Noster vertit hinnulus.

Symbolice, S. Ambrosius in *Psalm. xli*, initio, per « cervum amorum et pullum gratiarum » accipit Christum, qui est amor amorum et gratia gratiarum: « Cervus amicitiae, ait, et pullus gratiarum confabuletur tibi; verus enim Dei Filius in semelipso naturam, quam animantium ipse donavit, expressit, qui in hunc mundum tanquam cervus advenit, et cum his se mira simplicitate jungebat, a quibus ei parabantur insidiae. Fertur enim hujusmodi cervorum esse simplicitas, ut, cum se exagitari viderint, his sese equitibus adjungant, qui ministerio fraudis appositi, fugae specie ac simulatione societatis inductos ad reliqua usque deducant. Ita ergo Dominus, tanquam ignarus periculi atque improvidus, Judaeis dolum sibi struentibus admiscebatur, et societate Judaei proditoris sui sibi adsevit, cujus simulatione funesta usque ad crucis laqueo et passionis retia pervenit. » Et post nonnulla: « Similis est, ait, consobrinus meus caprea hinnulus cervorum super montes Bethel. Bonus cervus, cuius mons est domus Dei, in quam tanta celeritate currebat, ut sponse vota et desideria praeveniret. Denique quem de Jonginquo venientem viderat, repente sibi adesse cognovit. Unde et ait: Ecce hic stat post parietem nostrum, propiciens per fenestras, eminent per retia. » Et paulo post ordiens *Psalm. xi*: « Sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Cervi similitudinem suscipit etiam Christus, quia veniens in terras serpentum illum diabolum sine ulla sui offensione protrivit; cui calcaneum suum obtulit, sed ejus venena non sensit. Unde dictum est ei: Super aspitem et basiliscum ambulabis, Simus ergo et nos cervi, ut

super serpentes ambulare possimus. Erimus cervi, si vocem Christi sequamur, quae nos et preparat cervos, et facit morsus serpentium non timere; ac si qui forte fuerit vulnerati, auferet eorum dolorem, solvendo delictum. De his cervis dicit Dominus ad Job: Observasti partus cervarum, nuperasti autem menses earum plenos partus? Dolores autem earum solvisti, enutristi filios earum ut non timeant? Et mox: Merito ergo cervus factus est Dominus, ut tales sibi cervos Domini vox prepararet, de quibus ait: In nomine meo demonia effugient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Tollebant enim serpentes, cum spiritu oris sui sancti Apostoli de latebris corporum eruerent nequitas spirituales, nec venena mortifera sentiebant. Denique cum exsiliens de sarnentis Paulum viperam momordisset, videntes Barbari pendente viperam de manu ejus, putabant repente morituros. At ille stabat intrepidus, nec vulnere movebatur, nec veneno infundebatur. Unde videntes eum non tanquam hominis conditione genitum, sed tanquam Dei gratia editum, supra hominem esse arbitrabantur. Vide cervum viperam de latebris eruentem spiritu divino qui erat in naribus ejus, sicut dixit Dominus ad Job. »

Tropologice, S. Hieronymus in *Isaia* cap. xxxiv, sub finem, docet cervos et hinnulos gratiarum esse Apostolos et sanctos doctores, qui quasi hinnuli celerrime discurrerunt et discurrunt per orbem, eumque magnis laboribus et doloribus converterunt et convertunt ad Christum; de quibus ait Job, cap. xxxix: « Numquid, etc., parturientes cervas considerasti? Incurvantur ad fetum, et pariunt, et rugitus emittunt. » Vide rugitus S. Pauli et Apostolorum graphice describentem S. Gregorium eodem loco. Porro dotes tredecim cervae paulo ante recensitas facile adaptabis Apostolis, doctoribus et praedicatoribus.

Rursus Beda: « Cerva carissima, ait, sive gratissima, ut quidam codices legunt, est sancta Ecclesia, quae serpentina odio habere solet et conterere doctrinam. Gratissimus hinnulus populus est, ejus virtutum varietate delectabilis, et eadem castae semper fidei amulatione succensus. Cujus uberibus inebriamur, cum utriusque Testamenti paginis contra hereticorum fraudes instruiamur, cujus pace et amore jugiter delectari, magna est exercebatur occasio virtutum. »

Denique S. Augustinus, serm. 21 *De Verbis Apostoli*, per cervum accipit amicum, qui amici onera portat, sicut cervi alter alterius cornua dorso vicissim excipiunt, dum mare transierant: « Cervus amicitiae, inquit, et pullus gratiarum colloquatur tecum. Nihil enim sic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio, » juxta illud: « Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi, » *Galat. vi*.

20. QUARE SEDUCERIS, FILI MI, AB ALIENA, ET FO-

VERIS IN SINU ALTERIUS? — Est conclusio, q. d. Cum ex dictis, o fili, o discipule, clare perspicias quanta sint commoda honestate uxoris et conjugii, ac quanta damna inhonestae meretricis et fornicationis, erisne adhuc tam demens et veorsus, ut ab aliena meretricis te deduci et fornicationis in tuam perniciem et ruinam? Unde Hebraei habent: *Ut quid errabis, fili mi, in aliena, et amplexaveris sinum extraneae?* amor enim est error, et amantes sunt quasi amantes; Septuaginta, *ne multus sis ad alienam, neque continearis ubi non proprie;* ubi *nois*, id est *multus*, opponitur *nois*, id est *multissimus*, quod praecessit, q. d. Cum deliciis uxoris tuae abundes, sisque quasi multissimus in gaudiis solitudinis, cur sis relictus et eorum vice stolidus fias multus et multissimus in sumptibus, curis et doloribus in meretricem exhauriendis? Cum enim illa multis assueverit, et a multis multa corroget, si tu ea potiri velis, oportet ut tu unum multorum vicos subeas, haeque ex uno multiplex, ut ejus cupiditatem, ornatum et avaritiam inextinguibili satisfacias; utque tu unus praestes ei quaecumque multo praestiterunt.

21. RESPICIT DOMINUS VIAS HOMINIS, ET OMNES GRESSUS EJUS CONSIDERAT. — Hebraice, *coram oculis Domini viae hominis, et omnes semitas ejus ad amissum librat, vel ponderat;* Syrus et Chaldaeus; *quoniam in conspectu oculorum Dei viae viri, et omnes semitae manifestae sunt coram Deo.* Est haec nova et effectiva ratio ad dissuadendam fornicationem et consuetudinem cum aliena, quod cum fornicatores querant tenebris et fornices, in quibus lateant, quasi a nemine videantur; Deus tamen clarissime eorum turpitudinem et scelera intuetur, et aequo sit publico judicio ad lanceam et trutinam expensurus, condemnaturus et puniturus. Ipse enim « omnes ejus gressus, » id est actiones, ad libellam librat, examinat et ponderat an honeste sint, an male; rursus quam bonae vel quam male sint, ac quantum premium vel poenam mereantur. Unde Septuaginta addunt causale *enim*, ut ostendant hic novam rationem et causam dari ad vitandam meretricem; sic enim habent, *sunt enim coram oculis Dei viae viri, et in omnibus ejus orbitas* (Aquila, *frenas*; Symmachus, *gyros*) *speculatur*. Expressus Vatablus haec nonnulla versus praecedenti, prorogando hucusque notam interrogationis, hoc modo: « Cur enim, mi fili, aliena esse implicatus? cur in cremo aliene adhaeresceres, quando viae hominis oculis Domini sunt exposita, et omnium itinera aequa lancea expendat? » Eundem lucidissimum Deo oculum fornicariis intorqueat, et multis tentat Ecclesiasticus, cap. xxxii, vers. 25: « Omnis homo, ait, qui transgreditur lectum suum, contemnit in animam suam, et dicens: Quis me videt? tenebrae circumdant me, et parietes cooperierunt me, et nemo circumspicit me: quem venet? delictorum meorum non memorabitur Altissimus. Et non intelligit quoniam omnia videt oculus Domini »

etc. quoniam oculi Domini multo plus lucido res super solem, circumspiciunt omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditis partibus. » Ubi plura *de his re dixi* : quare ea hic non repetam.

22. INIQUITATES SUE CAPUNT IMPIUM, ET FUNEBUS S. Irenaeus, lib. IV, cap. 2, legit *restibus* peccatorum stromem constringitur. — Symmachus, *comprehenditur*; Arabicus, *ligatur*; Vatablus, *irretitur*; Pagninus, *tenetur*; Hebraice, *ittamech*, id est *fulcitur, tenetur in alto ne cadat*. Unde R. Salomon interpretatur, *suspensitur*. Suspensus enim, inquit ipse, funibus laqueisque fulcitur, a quibus pendet. Sic et R. Levi, qui pro *captivi vertens illoquant*, et pro *constringitur vertens fulcitur* hoc est, inquit, rebus peccatorum funibusque fulcitur firmabiturque laqueus, quo perditus constringatur, quod plane multis flagitiosis accidisse constat, qui sibi ipsis fuere artifices exiit. Septuaginta, *iniquitates virum capiunt, et catenis peccatorum suorum implicatur, vel ligatur*; Chaldaeus, *peccata sua comprehendunt impiam, quasi liiores et tortores ream*.

Quaeritur primo, quorsum hoc dicat Salomon, et quid hoc faciat ad praecedentia et sequentia? Respondeo primo: Recte hic versus connectitur precedentem, q. d. Deus iudex et vindex respicit fornicationes et peccata ejusque, ut ea libret, iudicet et puniat, nec ejus manus quisquam evadere poterit. Etiam ad tempus peccata dissimulet, et peccatorum suae libertati relinquat, tamen iam funibus peccatorum suorum constricatur tenetur, ut quasi reus suo tempore sistatur iudicio et plectatur.

Secundo, recte quoque cohaeret cum vers. seq. hoc sensu, ut sit occupatio, q. d. Fornicatores et peccatores fatentur se male agere, et coram Deo reos esse, sed sibi persuadent quod, in senio refrigerante aetate et concupiscentia, se amoribus meretriciis facile expediant, penitentiam agent, et saluti suae consulunt. Verum errant, quia vitia, praesertim libido, consuetudine roborata sunt quasi funes et multas valides quasi filis implexi et contorti, qui ita valide ligant animam, ut ab his etiam in senio se expedire non possint, juxta illud Job XX, 11 : « Ossa ejus implebuntur vitis adolescentiae ejus, et cum eo in pulvere dormient. » Quare juvenis, fornicari assuetus, etiam in senio fornicabitur vel realiter, vel mentaliter per memoriam et delectationes morosas praeteritarum fornicationum : itaque in peccato suo morietur; nam, ut ait S. Augustinus, id ipsum in se expertus, lib. VI *Confess.* cap. XI et seq. : « Dum servitur libidini, facta est consuetudo; et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. »

Quare secundo, qui sint « funes peccatorum, » qui ligant impium? Respondeo primo, est culpa sive macula peccati, quae post actum remanet.

Secundo, est ipse reatus maculae annexus, quo peccator reus tenetur et obnoxius ire et vindictae

Dei; peccata enim transeunt actu, manent reatu.

Tertio, est ipsa servitus diaboli, a quo peccator quasi mancipium captivus tenetur, juxta illud S. Petri, *epist.* II, cap. II, vers. 19 : « Cum ipsi servi sint corruptionis; a quo enim quis superius est, huic et servus est. » Unde S. Isidorus, lib. II *de Summo bono*, cap. XXXIX : « Principaliter his duobus vitis, ait, diabolus humane generi dominatur, id est superbia mentis et luxuria carnis. » Et S. Paulus, II *Timoth.* II, 26 : « Respiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem. » Unde Dionysius : Peccator, inquit, est equus diaboli; sicut enim equus agit equum quo libet, sic et diabolus agit peccatorem. Reatus ergo peccati est quasi funis licitorum, obligans animam Deo, peccato, daemone ut tortori, morti et inferno ut carceri, equuleo et supplicio. Ita S. Hieronymus in cap. IV *Ezech.* : « Alia, ait, sunt Domini vincula quibus in salutem ligamur, alia diaboli quibus decem et octo annis ligaverat mulierem in Evangelio, Luca XII, vers. 16. Unde et funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur. »

Quarto, « funes peccatorum » sunt peccandi habitus et consuetudines, quae ita peccantem ligant et quasi necessitant, ut his se extricare nequeat, nisi per singulare robur et gratiam oculis a Deo immissam, quale habuit David, dicens *Psal.* CVX : « Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. » Ita S. Hilarius in *Psal.* CXVIII. *lit. ceter* : « Modo funis, ait, ex pluribus minimis crebit in multum, peccata tanquam longo fene tenduntur. Sunt etiam haec delictorum vincula, de quibus in Proverbis scriptum est : Fascis peccatorum suorum unusquisque constringitur; stringit enim nos atque alligat, et his vitiorum funibus implicat diabolus, in omni vite nostrae cursu laqueos pretendens. »

Quinto, funes peccatorum sunt connexio et colligatio peccatorum: unum enim peccatum trahit ad aliud, et hoc ad aliud, ut gula trahit ad libidinem, libido ad furtum, furtum ad homicidium, etc., ex quibus omnibus fit funis tam implexus et crassus, ut rudentibus nauticis vel curulibus aequari possit. « De luxuria, ait S. Gregorius, XXXI *Moral.* XXI, caecitas mentis, inconsideratio, inconstantia, praecipitatio, amor sui, odium Dei, affectus praesentis saeculi, horror autem vel desperatio futuri generantur, » juxta illud *Isaie* V, 18 : « Vos qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustrum peccatum! » Ubi multa haec de re dixi. Ita Beda : « Impii, ait, funibus peccatorum suorum constringuntur, cum necessitabilis augmento suae pravitatis intereant. Qui enim funem facit, torquendo semper, et involvendo filis fila adaugere. Tails est fortitudo malorum operum, tales libri hereticorum. In quibus pravis prava necentes, non aliud scribendo, quam quo se aeternis obligant, agunt. »

Porro S. Isidorus pro *funibus* legit *crinibus*; per quos accipit inonsam comam et barbam, quae

olim erant poena et symbola penitentium. Audi eum *De Ofic. Eccl.* lib. II, cap. XVI : « Qui penitentiam agunt, et capillos et barbam nutriunt, ut demonstrant abundantiam criminum, quibus caput peccatoris gravatur, sicut scriptum est : Crinibus peccatorum suorum unusquisque constringitur. Vir quippe, si comam nutriat, ut ait Apostolus, I *Cor.* XI, ignominia est : itam ergo ignominiam suscipiunt poenitentes pro merito peccatorum. »

Igitur per *funes* possunt accipi poena et penitentiae peccatorum: haec enim peccatorum ligant, cruciant et affligunt. Unde S. Augustinus in *Sententis*, sent. 73 : « Corpus, ait, carnis nostrae ornamentum fuit; peccavimus et compedes inde accepimus, ut vinculis mortalitatis omnis humanam actionem cursus praepediretur. » Et S. Ephrem per *funes* peccatorum accipit poenas gehennae; sic enim ait, tract. *De Vitis tormentis inferni* : « Hisse suppliciorum locis distribuuntur miseri, quisque pro peccatorum suorum modo vehementius mitiusve, sicut scriptum est : Quia funibus peccatorum suorum constringitur unusquisque. » De hisdem dicitur *Psal.* XVII, 6 : « Dolores inferni circumdederunt me. » Ubi pro *dolores* hebraice est חבל *chebel*, id est *funes*, ut verit S. Hieronymus, quia dolores atroces, seu funes, hominem stringunt et coarctant, ut patet in parturientibus.

23. IPSE MORIETUR, QUIA NON HABUIT DISCIPLINAM, ET IN MULTITUDINE STULTITIAE SUE DECIPIETUR. — Hebraice, *erabit*; Symmachus, *et stultitia illius erabit*; Septuaginta, *is moritur cum his qui non habent disciplinam, et de multitudinis vite sua dejectus est, et perit propter imprudentiam, vel insipientiam*. Pro vite graece est βίωσις, quod Complutenses vertunt, *violencia*; sed minus recte: nam βία est violentia, βίωσις vero est vita; Chaldaeus, *ipse morietur absque disciplina*.

Ex dictis vers. preced. liquet quis sit sensus, nimirum, q. d. Assiduitas fornicandi et peccandi, quae quasi funis ligat juvenem scortatorem, adiget eum ad mortem presentem et aeternam, quia disciplinam institutionemque non admisit, eique obedire noluit. Unde ob multam suam stultitiam decipietur; quia, cum sperabit longam adhuc vitam, subita peste vel lue correptus, aut gladio, lelo, similive casu ictus morietur. Rursum, sperabit se in senio vitam maturaturum, et penitentiam acturum, sed deperit, quia in senio vitia juvenitatis sibi inherencia et agglutinata, imo inoluta reperiet : curare is adhaerens immoretur, peribit et damnabitur. « Justo enim Dei iudicio fit ut peccator, qui in vita oblitus est Dei, in morte obliviscatur et sui, » ait S. Augustinus. Unde Vatablus verit, *ipse morietur absque disciplina, in multitudine stultitiae sua implebitur*.

Nota sunt exempla Chrysaorii in morte clamantis : « Inducias vel usque mane, » easque non ob-

tinens, apud S. Gregorium, IV *Dialog.* cap. XXVIII, et aliorum similium apud eundem, et apud Venerabilem Bedam in *Histor.* Angl. Palladius in *Lausica*, cap. XXVI, scribit S. Pachomium optassera ferum dentibus laevi, eo quod 10 annorum solitudine, jejuniorum aliarumque rerum asperitate, non potuerit hunc hostem expugnare, hinc nunquam hosti succubuisse. Deinde et B. Moser ex latrone eremitam, cujus vita quorundam parva confinens fuerat, nulla jejunii severitate potuisse lasciviam carnis domare : imo cum post sexennium jejunio vigiliis diuturnas, longas precibus multaque lacrymarum junxisset, nihil tamen obtinuisse, donec tandem post exantillas multo alio labore benedictione patris sui spiritualis quiete aliquam, fremente licet Satana, meruisset. Quibus exemplis Deus videtur ostendere voluisse, quantum arduum inditum semel cum luxuria fructus doli solvere.

Quocirca ingens est stultitia, quod peccator semper longiorem vitam sibi promittat, nec peccandi finem facit, cum tamen hic a Salomone praemonitus debeat citam mortem expectare, imo subito et inopinatum, juxta illud Christi : « Et vobis estote parati, quia hora non putatis, Filius hominis venit, » Lucae XII, 40. Stultitiam hanc promovet daemón, dum quolibet anno suggerit homini : Tu adhuc validus es, hoc saltem anno non morieris; facile ad unum annum vitam progabis : hoc ergo anno licebit tibi solitis voluptatibus, sequenti penitentiam ages. Hunc autem sensum et suggestionem quolibet anno renovat : quo fit ut, dum annus ipse mortis adest, sibi idem persuadeat quod aliis aetatis, nimirum r Facile hunc annum superabis; interim decipiuntur, quia illo anno moriuntur, et imparati moriuntur, quia putaverunt se illo anno non morturos. Hic est ergo paralogismus daemónis quo multos decipit et implicat ut male vivant, et male moriantur : Tu singularis annus perditur potes sperare adhuc annum vite. Atqui inter singulos annos est annus mortis, quo scilicet Deus decrevit ut moriaris. Ergo illo anno potes sperare tibi persuadere te non moriturum, cum tamen Deus certo decreverit te illo moriturum. An non haec manifesta est fraus et deceptio? Proinde audientes tales quod dictum est diviti illi promittant sibi plures annos vite splendide : « Stultia, haec nocturnum tuum reputat a te; quae autem parasti, cujus erunt? » Lucae XII, 20. Et illud Job XXI, 13 : « Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt » gaudentes, epulantes, dormientes. Audiant ergo peccatores sapiens S. Augustini consilium in *Sententis*, sent. 74 : « Remedia conversionis ad Deum nullis cunctationibus sunt differenda, ne tempus correctionis pereat tarditate. Qui enim penitentem promisit indulgentiam, dissimulanti diem crastinum non spondit. » Et *Sentent.* 138 : « Animus male sibi conscius, dum videtur sibi nullam poenam pati, credit quia non-

judicat Deus; cum abuti patientia Dei, et non intelligere parentis benignitatem, jam sit magna damnatio. » Et *Sentent.* 233: « Nullus in Deo lo-

cus est, nec est quo fugiatur ab ipso nisi ad ipsum. Qui vult evadere offensum, confugiat ad placatum. »

## CAPUT SEXTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

Docet sponsori satagendum eas: ut illico sponsione se liberet. *Max.* vers. 6, pigrum formicæ exemplo ad laborem excitat. Ad hæc, vers. 12, describit apostatam, et septem vitia, quæ Deus odit. Deinde, vers. 20, exhortatur ad custodiam legis, redditque ad inculcandum fugam meretricis et adulteræ.

1. Fili mi, si sponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, 2. illaqueatus es verbis oris tui, et captus propriis sermonibus. 3. Fac ergo quod dico, fili mi, et temetipsum libera: quia incidisti in manum proximi tui. Discurrere, festina, suscita amicum tuum: 4. ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. 5. Errore quasi damula de manu, et quasi avis de manu aucupis. 6. Vade ad fornicam, o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam: 7. quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, 8. parat in æstate cibum sibi, et congregat in messe quod comedat. 9. Usquequo piger dormies? quando consurges et somno tuo? 10. Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus, ut dormias: 11. et veniet tibi quasi viator, egestas, et pauperies quasi vir armatus. Si vero impiger fueris, veniet ut fons messis tuæ, et egestas longe fugiet a te. 12. Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, 13. anuit oculis, terit pede, digito loquitur, 14. pravo corde machinatur malum, et omni tempore jurgia seminat. 15. Hinc extemplo veniet perditio sua, et subito conteretur, nec habebit ultra medicinam. 16. Sex sunt, quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus: 17. Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, 18. cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, 19. proferentem mendacia testem fallacem, et eum qui seminat inter fratres discordias. 20. Conserua, fili mi, præcepta patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ. 21. Liga ea in corde tuo jugiter, et circumda gutturi tuo. 22. Cum ambulaveris, gradiantur tecum: cum dormieris, custodiant te, et evigilans loquere cum eis. 23. Quia mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitæ increpatio disciplinæ: 24. ut custodiant te a muliere mala, et a blanda lingua extraneæ. 25. Non concipiscat pulchritudinem ejus cor tuum, nec captiaris nitibus illius: 26. pretium enim scorti vix est unius panis: mulier autem viri pretiosam animam capit. 27. Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? 28. aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? 29. sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cum tetigerit eam. 30. Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit: furatur enim ut esurientem impleat animam: 31. deprehensus quoque reddet septuplum, et omnem substantiam domus suæ tradet. 32. Quis autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam: 33. turpitudinem et ignominiam congregat sibi, et opprobrium illius non delebitur: 34. quia zelus et furor viri non parcat in die vindictæ, 35. nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona purissima.

## PRIMA PARS CAPITIS.

1 et 2. FILI MI, SI SPONDERIS PRO AMICO TUO, DEFIXISTI APUD EXTRANEUM MANUM TUAM, ILLAQUEA-

TUS ES VERBIS ORIS TUI, ET CAPTUS PROPRIIS SERMONIBUS. — Docuit juvenem cavere a meretricis, ne

cum ea opes suas dilapidet; nunc eundem docet cavere a lemeraria (tam rara et prudens, honesta est, opusque beneficentia et charitatis) fidejussione, quæ pari modo opes sæpe exhaurit. Sunt enim juvenes improvidi, qui pro quolibet amico illico fidejudent, ideoque eo deficiente debitum præstare coguntur, quo fit ut se et familiares sæpe in magnas angustias conjiciant, et ad extremam pauperiem, quæ et in carcerem redigant. Idem fidejussionis argumentum fusius tractavit *Ezech.* cap. xxxix, 19 et seq., et ego ibidem; quare hic cum Salomone brevis ero.

Sensus est, q. d. Si pro crimine vel debito alterius fidem tuam et teipsum obligaris, scilicet te curaturum ut reus crimen purget, vel pro eo satisfacias, adeoque penam statim luat, aut quasi debitor debitum exsolvat; « defixisti, » id est stipulatione et defixione manus tuæ in manum creditoris obligasti teipsum (1). Unde Chaldeus vertit clare, *promissisti solvere extraneo manu tua*; Syrus, *porrexisti manum tuam extraneo*; Septuaginta, *trades manum tuam amico tuo*; Scholiastes, *infixisti in catenam manum tuam*. Hinc noster Martinus de Roa, lib. I *Singul.* cap. iv, sic exponit: « Defixisti manum tuam apud extraneum, » id est, jus et potestatem extraneo fecisti, ut te manu prehendant et quasi debitorem sumum apud judicem vocet, ac quæ spondidisti repetat. Insuper, « illaqueatus es verbis oris tui, » quia ore tuo promissisti te soluturum debitum, vel luturum crimen amici pro quo fidejussisti; et « captus es verbis oris tui, » id est sponsione tua te obligasti, et quasi captivum tradidisti te creditori vel judici, ut te capere et in carcerem conjicere possit, si deficiente debitore, debitum ejus non exsolvas. Unde Septuaginta vertunt, *laqueus enim fortis viro propria labia, et capitur verbis oris sui*.

Idem suasore Philosophi. Celebre est illud Thaletis: « Sponde, noxa præsto est. » Unde addit Ausonius in dicto Thaletis:

Per mille possum currere exempla, ut probem  
Prædes vadesque penititudinis reos.

Et illud Chilonis: « Sponsioni non deest jaectura. » Unde Plinius, lib. VII, cap. xxxii: « Mortales, ait, oraculorum societatem dedere Chiloni, tria ejus præcepta Delphis consecrando aureis litteris, quæ sunt hæc: Nosse se quemque; et nihil nimium cupere; comitemque aeris alieni atque litis esse miseriam. » Chersias, apud Plutarchum in *Convivio Platonis*, refert fabulam Homeri de Atæ quæ, quod adfuerit Jovis sponsioni de nativitate Herculis, ab eo precipitata est in terram.

Synbolice, hæc aliqui adaptant Christo, qui

(1) Antea defixisti repetenda est particula *si*. Multi etiam ante committit 2 utrumque membrum eam subaudiunt, ut orationis *noxa* continetur, *amorem* demum sequatur vers. 3: sed minus recte. Sunt qui vertunt, non pro amico tuo, pro alio spondere, sed amico tuo, alii fidem dare: non male.

pro debitis et peccatis nostris vadimonium subfuit, seque vadem et prædem Deo Patri quasi creditori exhibuit, dum reipsa solvit debita luitque crimina nostra, quando manus suas in cruce defigi permisit.

Mystice hæc referas ad pastores, episcopos, principes et reges, qui se Deo obligant spontentique se subditorum salutem curaturos: quare si subditi ipsorum negligentia pereant, Deus sanguinem eorum de manu ipsorum requiret. Unde Septuaginta vertunt, *Alii, si sponderis amicum tuum; Aquila, sodalem; Symmachus et Theodotus proximum tuum*, scilicet staturum te Deo salvumque exhibiturum. Ita Beda et S. Bernardus: « Deus, ait, amicus est in sponsione, sed extraneus in exigenda ratione. » Audi S. Gregorium, III parte *Pastor.* admon. 3: « Spondere pro amico est alienam animam in periculo suæ conversationis accipere. Unde et apud extraneum manus defigitur, quia apud curam sollicitudinis, quæ ante deat, mens ligatur. Verbis vero oris sui illaqueatus est, ac propriis sermonibus captus, quia cum commissis sibi cogitur bona credere, ipsam prius necesse est, quæ dixerit, custodire. Illaqueatur igitur verbis oris sui, dum ratione exigente constringitur, ne ejus vita ad aliud, quam admet, relaxetur. Unde apud districtum judicem cogitur tanta in opere exsolvere, quanta cum constat aliis juce præcepisse. » In die enim iudicii Christus iudex Episcopus, Pastori, Superiori dicit illud *Jerem.* xii, 20: « Ubi est grex qui datus est tibi, pectus inelytum tuum? Quid dices, cum visitaverit te? tu enim docuisti eos adversum te, et erudisti in caput tuum, » dando mala vite exempla, contraria iis quæ ore docebas. « Numquid non dolores apprehendent te, quasi mulierem parturientem? » Unde S. Thomas in cap. xiii ad *Hebr.*, lect. 3, et defixisti manum, et illaqueatus es verbis oris tui, sic explicat, q. d. O pastor, obligasti te Deo, ut pro grege tuo impendas manum et os tuum, ut quidquid ore potes proloqui, et quidquid manu potes operari pro salute gregis tui, hoc ex sponsione tua teneris præstare, nimirum pascere gregem tuum omnis virtutis exemplo, et perenni doctrina eloquio.

Rursum alii hæc accommodant ad vota præsertim religiosa, q. d. Si voveris Deo castitatem, paupertatem, obedientiam, pro amico, id est pro anima tua salvanda, votis tuis obstrictus teneris apud Deum. Discurrere ergo, festina, ne des somnum oculis tuis, omnes curas intende, ut Deo reddas vota, quæ distinxerunt labia tua. Discurris, si internis mentis oculis pericula, violandi vota perlustras. Discurris, si media ea adimplendi exquiras. Discurris, si in diversas partes curras, et omnia dona quæ habes in auxilium accersas. Discurris, si eas de virtute in virtutem, de castitate in castitatem, de paupertate in paupertatem, de obedientia in obedientiam. Verum hic sensus est accommodatilius; non enim agitur hic de voto,